



CONSVLATVS NATALEM,

QVO
VIR

MAGNIFICVS, EXCELLENTISSIMVS,
CONSVLTISSIMVS AMPLISSIMVSQVE

DOMINVS

D. ADRIANVS
STEGERVVS,

JCTVS CELEBERRIMVS, SACRAE
CAESAREAE MAIESTATI A CONSILIIIS,
VT ET POTENTISSIMO POLONIARVM REGI
ET ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIIS AVLICIS ET
IVSTITIAE, SCABINATVS ASSESSOR ET AEDIS D.

PETRI ANTISTES ET RELIQA,

DE SINGVLIS OPTIME MERITVS

CONSVLIS MVNVS

SOLENNI RITV SVSCIPIEBAT

CONCELEBRARE

TANTOQVE PATRONO ET MAECENATI

DEVOTISSIMAM PIETATEM

TESTARI VOLVIT

IO. DAVID HVNGER.

LIPSAE,

LITERIS IMMANVELIS TITHI





Anter præstantissima, sed hominibus, tanta humanæ mentis cœcitas est! vulgo parum cognita atque perspecta beneficia, quibus Summum illud inexhaustæ benignitatis Numen Rempublicam aliquam exornat atque amplificat, istud sane primo loco ponendum esse videtur, si Summus ille rerum Arbitrator pro suo flagrantissimo, quo erga generis humani commoda quævis ratione promovenda fertur, amore tales civibus concedat viros, qui in his terris ipsius personam sustineant, ejusque regnum ea, qua voluit, pietate ac justitia moderentur. Humana certe natura sibi relicta, nec adhuc salutari cœlestis sapientiæ fulgore collustrata, haud obscure, si modo bene attendat, intelligit, nihil excellentius a DEO immortali ne votis quidem conceptis populo posse expeti, quam rectores civitatum pios prudentesque, quod a felici eorum imperio singulorum civium felicitas dependeat. Si verum est, quod intelligentissimorum quisque semper existimavit, haud deteriores gratiam iis esse habendam, qui aliquod beneficium nobis conservant, quam qui ejusdem fuerint auctores, quid mihi tandem de magistratuum dignitate ac præstantia dicendum est, qui vitam rem omnium rerum præstantissimam, qui famam terrarum divitiis anteponendam, qui fortunam & reliqua in vita jucundissima suo præsidio atque auxilio salva, illibata, intacta nobis conservant. Possent omnino hoc loco evagari latius & varia emolumenta & utilitates, quæ a magistratuum personis Rempublicam aliquam rite gubernantibus in universa vitæ genera redundant, enumerando percensere, si id quidem angusta chartæ pagina permetteret. Luculentum igitur istud divinæ bonitatis esse documentum exquisitissimisque, quas mens humana concipere potest, laudibus extollendum qui in dubium vocaverit, idem mihi videtur agere, ac si quis serena cœli temperie sub dio constitutus radios solis longe lateque exsplendescentes suoque salutari luce omnia collustrantes sanis patentibusque oculis excipiens inficiaretur. Quæ cum ita sint, quid mihi de Te

LIPSIÆ, Te enim alterum Saxonie oculum hic compellere libet, quid, inquam, mihi de Te Tuaque felicitate censendum? annon amplissimarum fortunarum abundantia reliquis civitatibus longissime antecellis? Habes sane multa alia de quibus gloriaris. Ecquis est enim tam inaccessus, tam ab omni hominum societate remotus in terris locus, ubi non præstantissimi Tui nominis fama percrebuerit? Quis est enim in notissimarum rerum scientia tam hospes atque peregrinus, qui Te litterarum domicilium, orbis terrarum emporium, omnis elegantie sedem, amplissimumque beneficentie divinæ theatrum nesciat? Magna sunt ista, fateor, sed longe majora quod Senatuum habeas providum, Tuæque paci & incolumitati advigilantem, sine qua optimarum rerum fructum capere nullo modo posses. Cognosce, quæso, & in animo Tuo perpende miseram & calamitosam rerum faciem, nisi magistratuum præsidio septa esses & circumvallata. Quis enim tutus a latronis gladio in plateis foret, quis in domo sua paterfamilias, quis in officina opifex, quis in viis ab insidiarum cædiisque metu liberatus, quis denique a reliquis scelerum impuritatibus securus, nisi profusam & effrenatam improborum hominum audaciam magistratus retardaret, eandemque suppliciorum formidine coerceret. Age igitur LIPSIÆ, felicitatisque Tuæ præstantiam Tibi ob oculos animumque pone, omnesque in universum cives, qui pomeriis Tuis circumscribuntur, ad magnificentissimas DEI laudes toto pectore celebrandas exsuscita. Hic, Hic est ille dies, quo gratam animi memoriam deposcit summum illud Numen, quod hanc civitatem a variis calamitatum generibus sartam tectamque conservavit, novique CONSULI electione signum aliquod in illustri positum loco omnium conspectui exposuit, quod ad bene de hac Republica sperandum animos omnium mirifice confirmat. Sed quid loquor? Exultant omnino Sionis colles, variaque lætitiæ produnt indicia, quoniam maximam spem in tanti viri prudentia positam sibi existimant atque censent, fore, ut diligentissime curet, quomodo Ecclesia DEI in hac civitate lætissime efflorescat. Erigunt sese pietatis & litterarum domicilia teneræ ætatis mentibus

*instituentis consecrata & in ejusdem gaudii societatem
 certatim cupiunt adoptari, idem illud cupiunt, desiderant,
 exoptant patrocinium creduntque certissime futurum, ut sa-
 pienti CONSVLLS sui consilio provideatur, ne quid posteri-
 tas detrimenti capiat. Omnes denique omnium ætatum, ordi-
 num & fortunæ homines suarum rerum conditionem, certum
 in adversis per fugium ac solatium & omnia denique expe-
 ctant, quæ ab amantissimo patre civitatis possunt proficisci.
 Ignosce igitur, VIR MAGNIFICE, quem ego nunc bre-
 vissimis alloquor, quod charta hæc levicensis amplissimo
 Tuo conspectui sese humillime offerat, lætitiæque pariter
 ac pii voti pro TE, Tuæque Republica suscepti observantissi-
 mam his verbis ad DEVM directis indicem exhibeat:*

O POTENTISSIME RERVM PVBLICARVM STATOR ATQVE CVSTOS
 CVIVS SOLIVM COELESITES INCOLAE VENERANTVR
 TERRARVMQVE ORBIS SVBMISSÆ ADORAT
 TIBI SVMMO HVIVS CIVITATIS PRAESIDI
 IMMORTALES GRATIAS AGO
 QVOD EANDEM HACTENVS ELORENTISSIMAM
 ET A VARIIS MALIS INTACTAM, CONSERVASTI
 TE OBTESTOR ATQVE PRECOR
 VT BENEFICIIS TVIS FAVEAS
 IISDEM QVE ADDAS PERPETVITATEM
 NOVVM HVNC CONSVLEM OMNI BONORVM ABVNDANTIA CIRCVMFVNDE
 QVOD HVMERIS IPSIVS SEDET ONVS ALLEVA
 CONSILIIIS AMICE ADSPIRA
 OMNIBVS REBVS GESTIS PROPITIUS ESTO
 VT CONSVLATVS HOC ANNO GESTI FRVCTVM PIA POSTERITAS SENTIAT
 ET LARGISSIMA LAVDVM FOENORA TIBI TRIBVAT.
 FAC VT CONSTET
 SENATVI AVCTORITAS
 ECCLESIAE FELICITAS
 CIVIBVS TRANQVILLITAS
 TIBI AVCTORI SEMPITERNA GLORIA
 HVIVS VOTI SI DAMNATVS FVERO
 ERIS MIHI SEMPER DEVS
 IN HOC ET FVTVRO SECVLO CELEBRANDVS.
 F I A T!
 SCRIB. D. IIX. KAL. SEPT. A. O. R. MDCCXXI.



78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506
K118
107





CONSVLATVS NATALEM,

QVO
VIR

MAGNIFICVS, EXCELLENTISSIMVS,
CONSVLTISSIMVS AMPLISSIMVSQVE

DOMINVS

D. ADRIANVS

STVRVS,

JCTVS CE
CAESAREA
VT ET POT
ET ELECTORI
IVSTITIAE,

VS, SACRAE
A CONSILIIS,
LONIARVM REGI
NSILIIS AVLICIS ET
SSOR ET AEDIS D.

PE

RELIQVA,
ERITVS

CON
SOL

MVNVS
CIPIEBAT

TANTOQV

ET MAECENATI
TATEM

IO

NGER.

TITIL

